

dicto Regi; et sibi detur exemplum litterarum quas misit Baiulus noster, que continent gravitates, que facte sunt nostris, post recessum dicti Ser Jacobi: et postquam erit in Armeniam, conferrat cum dicto baiulo nostro et sentiat ab eo, si alie gravitates ibi fiunt nostris, ultra illas que continentur in litteris supradictis.

Et committatur dicto ambaxiatori, quod si dictus rex vellet pretendere ignorantiam, et diceret se nescire, in quibus privilegium non servetur, sibi exponat dicta capitula et gravitates contentas in dictis litteris nostri Baiuli, et alias de quibus sentiret ibidem, et procuret obtainere generaliter observantiam privilegij, ut est dictum.

Et procuret dictus ambaxiator suo posse quod precium argenti quam plus poterit augeatur, exponendo dicto domino Regi, quomodo argentum multo carius, et in minori quantitate solito in istis partibus reperitur, propter quod mercatores nostri conducentes ipsum ad partes ipsas non possunt ipsum dare pro preceo consueto, absque magno sinistro et gravitate ipsorum, quod non deberet velle dominus Rex prefatus; ymo considerata devotionem quam nostri habent ad ipsum et regnum suum, deberet eis dare omnem bonam causam, ob quam posset regnum suum cum suo comodo frequentare.

Comittatur etiam dicto ambaxiatori, quod procuret obtainere suo posse, quod ducati auri recipientur ibi pro Taculinis XXIIII pro quolibet, ut si casus occurreret, quod de argento propter paucitatem ipsius, nostri mercatores, se non possent furnire, saltem cum auro possit ad partes illas accedere, et in regno mercari et more solito conversari. Et quando idem Ambaxator noster aliquod predictorum capitolorum, tam argenti quam auri obtainere non posset, tamen eis non obstantibus, procuret obtainere quod mandetur, et observetur effectualiter observantia privilegij, ut est ditum.

Si vero idem rex preceptum de observantia privilegij cum libertatibus et franchisiis contentis in eo, facere recusaret, allegans condicionem regni sui, ut alias fecit eius ambaxiator, qui fuit hic, et peteret, quod nostri solverent illam unam pro Cent.^o quam consueti sunt solvere, non obstante privilegio supradicto, committatur dicto ambaxatori, quod esponat dicto Regi, quod nostri